

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0918

0916

0922

0912

345

ventorum impetus et alias horridas aeris impressiones et
corruptiones tribuit inobedientiae malum, hinc pestilentiae,
fames, infirmitates et indicibiles miseriae; insuper ferarum,
serpentum aviumque aculeos atque rabiem milleque rerum
pericula attulit. Unde suspiria lachrimaeque, noctes querulo-
sae et dies laboriosae, horae taediosae, et cuncta hominis
tempora anxio timore sunt respersa. Haec et similia in hoc
agro materiam copiosam ministrant contemplandi.

Igitur contemplatione finita curiosius locum et terram
perspeximus. Est enim terra superius satis grossa et fusca,
sed fodiendo appetet rubra, argillosa, flexibilis, de qua fig-
menta optime fieri possunt. De hac ergo terra sumsimus
limum et lapillos pro reliquiis. Dicitur autem, quod, quicumque
de illa terra secum aliquid habet, per viam eundo non fatiga-
tur; si bestiae insidet, ipsa non offendit, nec cadit; si vero
homo vel bestia cadit, non laeditur casu sed incolmis re-
surgit. An autem hoc verum sit, probet qui vult, ego
oculum non habui ad considerandum hoc, sed nec fatigam
nec casum passus sum.

De spineto sive condensis arbustis, in quibus Abel
occisus est a fratre suo Cain.

Consequenter processimus in ipso agro extra terram labo-
ratam aratro et in condensa arbusta et spinosa virgulta veni-
mus, in quibus locus ostenditur, ubi Cain consurrexit adver-
sus fratrem suum Abel eumque interfecit, ut habetur Genes.
IV. In illo loco procidimus et terram deosculati sumus, quae
aperuit os suum et suscepit sanctum sanguinem de manu
fratricidae. Sanctum enim et justum Abel fuisse patet in
veteri Testamento Genes. IV. et in novo Testamento Matthaei
XXIII. Compatiebamur in loco hoc non solum imperfecto
Abel, sed et venerandis ac devotis senibus, Adae et Eveae
fratrum parentibus, qui casum audientes ad locum accurrerunt.
O quas mentes eis fuisse suspicor cernentibus, ex duabus
filii alterum alterius nequitia mactatum, cadaver exanime,
immobile corpus tabido respersum cruore et insensibile?
Quas lacrimas, quos dolores, quos horrores et pavores! prius

Ende

Anfang